



OPERE

di

Publio Ovidio Nasone

Volume quarto

*Fasti
e frammenti*

A CURA DI
FABIO STOK

UNIONE TIPOGRAFICO-EDITRICE TORINESE

nam tibi mutatae Libera¹⁴⁶ nomen erit,
 sintque tuae tecum faciam monimenta coronae,
 Volcanus Veneri quam dedit, illa tibi¹⁴⁷»,
 515 Dicta facit, gemmasque novem transformat in ignes:
 aurea per stellas nunc micat illa novem.

A PR. ID. EQUIRRIA NP

Sex ubi sustulerit, totidem demerserit orbem
 purpureum rapido qui vehit axe diem,
 altera gramineo spectabis Equirria¹⁴⁸ Campo¹⁴⁹,
 520 quem Tiberis curvis in latus urget aquis;
 qui tamen eiecta si forte tenebitur unda,
 Caelius accipiat pulverulentus equos¹⁵⁰.

B ID. NP

Idibus est Annae festum geniale Perennae¹⁵¹
 non procul a ripis, advena¹⁵² Thybri, tuis.
 525 Plebs venit ac virides passim disiecta per herbas
 potat, et accumbit cum pare quisque sua.
 Sub Iove pars durat, pauci tentoria ponunt,
 sunt quibus e ramis frondea facta casa est;
 pars, ubi pro rigidis calamos statuere columnis,
 530 desuper extentas imposuere togas.
 Sole tamen vinoque calent annosque precantur
 quot sumant cyathos, ad numerumque bibunt.
 Invenies illic qui Nestoris¹⁵³ ebibat annos,
 quae sit per calices facta Sibylla¹⁵⁴ suos.
 535 Illic et cantant quicquid didicere theatri¹⁵⁵,

146. Divinità italica, identificata oltre che con Arianna (in considerazione di Libero / Bacco), anche con Persefone / Proserpina.

147. Quale dono delle nozze con Bacco (cfr. anche *Her.* VI, 115, dove il dono è dello stesso Bacco).

148. *Equirria* (vv. 517-522). Sulla prima ricorrenza della festa, il 27 febbraio, cfr. II, nota 223.

149. Il Campo di Marte.

150. Nei casi di impraticabilità del Campo di Marte, allagato dalle acque del Tevere, i giochi si svolgevano in un'area situata sul colle Celio.

- et iactant faciles ad sua verba manus,
 et ducunt posito duras cratera choreas,
 cultaque diffusis saltat amica comis.
 Cum redeunt, titubant et sunt spectacula volgi,
 540 et fortunatos obvia turba vocat.
 Occurrit nuper (visa est mihi digna relatu)
 pompa: senem potum pota trahebat anus.
 Quae tamen haec dea¹⁵⁶ sit quoniam rumoribus errat,
 fabula proposito nulla tegenda meo.
 545 Arserat Aeneae Dido miserabilis igne,
 arserat exstructis in sua fata¹⁵⁷ rogis,
 compositusque cinis, tumulique in marmore carmen
 hoc breve, quod moriens ipsa reliquit, erat:
 «praebuit Aeneas et causam mortis et ensem:
 550 ipsa sua Dido concidit usa manu»¹⁵⁸.
 Protinus invadunt Numidae sine vindice regnum,
 et potitur capta Maurus Iarba¹⁵⁹ domo,
 seque memor spretum, «thalamis tamen», inquit,
 [«Elissae¹⁶⁰
 en ego, quem totiens reppulit illa, fruor»].
 555 Diffugiunt Tyrii¹⁶¹ quo quemque agit error, ut olim
 amisso dubiae rege vagantur apes¹⁶².
 Tertia nudandas acceperat area messes,
 inque cavos ierant tertia musta lacus:
 pellitur Anna¹⁶³ domo, lacrimansque sororia linquit
 560 moenia; germanae iusta dat ante suae.
 Mixta bibunt molles lacrimis unguenta favillae,
 vertice libatas accipiuntque comas,
 terque «vale», dixit, cineres ter ad ora relatos
 pressit, et est illis visa subesse soror.
 565 Nacta ratem comitesque fugae pede labitur aequo

156. Anna Perenna.

157. La prima delle identificazioni di Anna Perenna (vv. 545-654) si riallaccia alla vicenda di Didone nel libro IV dell'*Eneide* (cfr. la morte di Didone a IV, 642-692).

158. Autocitazione: è l'epitaffio di *Her.* VII, 199-200.

159. Pretendente di Didone: cfr. VIRGILIO, *Aen.* IV, 36.

160. Il nome Fenicio di Didone (cfr. VIRGILIO, *Aen.* IV, 335).

moenia respiciens, dulce sororis opus.
 Fertilis est Melite sterili vicina Cosyrae¹⁶⁴
 insula, quam Libyci verberat unda freti.
 Hanc petit, hospitio regis confisa vetusto:
 570 hospes opum dives rex ibi Battus¹⁶⁵ erat.
 Qui postquam didicit casus utriusque sororis,
 «haec», inquit, «tellus quantulacumque tua est».
 Et tamen hospitii servasset ad ultima munus;
 sed timuit magnas Pygmalionis¹⁶⁶ opes.
 575 Signa recensuerat bis sol sua, tertius ibat
 annus, et exilio terra paranda nova est.
 Frater¹⁶⁷ adest belloque petit. Rex arma perosus,
 «nos sumus inbelles, tu fuge sospes», ait.
 Iussa fugit ventoque ratem committit et undis:
 580 asperior quovis aequore frater erat.
 Est prope piscosos lapidosi Crathidis¹⁶⁸ amnes
 parvus ager, Cameren incola turba vocat:
 illuc cursus erat. Nec longius abfuit inde
 quam quantum novies mittere funda potest:
 585 vela cadunt primo et dubia librantur ab aura:
 «findite remigio», navita dixit, «aquas»;
 dumque parant torto subducere carbasa lino,
 percutitur rapido puppis adunca Noto,
 inque patens aequor, frustra pugnante magistro,
 590 fertur, et ex oculis visa refugit humus.
 Adsiliunt fluctus imoque a gurgite pontus
 vertitur, et canas alveus haurit aquas.
 Vincitur ars vento nec iam moderator habenis
 utitur, at votis is quoque poscit opem.
 595 lactatur tumidas exul Phoenissa per undas,
 umidaque opposita lumina veste tegit.
 Tum primum Dido felix est dicta sorori
 et quaecumque aliquam corpore pressit humum.
 Ducitur ad Laurens¹⁶⁹ ingenti flamine litus
 600 puppis, et expositis omnibus hausta perit.

164. Pantelleria.

165. Il fondatore di Cirene, collocato qui (sorprendentemente) a Malta.

- Iam pius Aeneas regno nataque Latini
 auctus erat, populos miscueratque duos¹⁷⁰,
 Litore dotali solo comitatus Achate¹⁷¹,
 secretum nudo dum pede carpit iter
 605 aspicit errantem, nec credere sustinet Annam
 esse: quid in Latios illa veniret agros?
 Dum secum Aeneas, «Anna est!», exclamat Achates:
 ad nomen voltus sustulit illa suos.
 Heu, quid agat? Fugiat? Quos terrae quaerat hiatus?
 610 Ante oculos miserae fata sororis erant.
 Sensit, et adloquitur trepidam Cythereius¹⁷² heros
 (flet tamen admonitu motus, Elissa, tui):
 «Anna, per hanc iuro, quam quondam audire solebas
 tellurem fato prosperiore dari,
 615 perque deos comites¹⁷³, hac nuper sede locatos,
 saepe meas illos increpuisse moras¹⁷⁴.
 Nec timui de morte tamen: metus abfuit iste.
 Ei mihi, credibili fortior illa fuit.
 Ne refer: aspexi non illo corpore digna
 620 volnera Tartareas¹⁷⁵ ausus adire domos.
 At tu, seu ratio te nostris adpulit oris
 sive deus, regni commoda carpe mei.
 Multa tibi memores, nil non debemus Elissae:
 nomine grata tuo, grata sororis eris».
 625 Talia dicenti (neque enim spes altera restat)
 credidit, errores exposuitque suos;
 utque domum intravit Tyrios¹⁷⁶ induta paratus,
 incipit Aeneas (cetera turba tacet):
 «hanc tibi cur tradam, pia causa, Lavinia coniunx,
 630 est mihi: consumpsi naufragus huius opes.

170. I Latini e i Troiani (come deciso da Giove nell'*Eneide*, cfr. XII, 834-837).

171. Il compagno di Enea: con lui anche nel momento in cui incontra Didone (cfr. VIRGILIO, *Aen.* I, 460 sgg.).

172. Enea in quanto figlio di Venere (Citera dall'isola di Citera, il luogo di nascita della dea).

173. I Penati (cfr. I, nota 184).

174. Ma nell'*Eneide*, IV, 265 sgg., Enea è sollecitato da Mercurio a partire da Cartagine.

Orta Tyro est, regnum Libyca possedit in ora:
 quam precor ut carae more sororis ames»,
 Omnia promittit falsumque Lavinia volnus
 mente premit tacita dissimulatque metus;
 635 donaque cum videat praeter sua lumina ferri
 multa, tamen mitti clam quoque multa putat.
 Non habet exactum quid agat: furialiter odit,
 et parat insidias et cupit ulta mori.
 Nox erat: ante torum visa est adstare sororis
 640 squalenti Dido sanguinolenta¹⁷⁷ coma
 et, «fuge, ne dubita, maestum fuge», dicere, «tectum»;
 sub verbum querulas impulit aura fores.
 Exsilit et velox humili super arva fenestra
 se iacit (audacem fecerat ipse timor),
 645 cumque metu rapitur tunica velata recincta,
 currit ut auditis territa damma lupis,
 Corniger¹⁷⁸ hanc cupidis rapuisse Numicius undis
 creditur et stagnis occuluisse suis.
 Sidonis¹⁷⁹ interea magno clamore per agros
 650 quaeritur: apparent signa notaeque pedum;
 ventum erat ad ripas: inerant vestigia ripis;
 sustinuit tacitas conscius amnis aquas.
 Ipsa loqui visa est, «placidi sum nympha Numici:
 amne perenne latens Anna Perenna¹⁸⁰ vocor».
 655 Protinus erratis laeti vescuntur in agris
 et celebrant largo seque diemque mero¹⁸¹.
 Sunt quibus haec Luna est, quia mensibus impleat
 [annum¹⁸²,
 pars Themis¹⁸³, Inachiam¹⁸⁴ pars putat esse bovem.
 Invenies qui te nymphen Azanida¹⁸⁵ dicant
 660 teque Iovi primos, Anna, dedisse cibos.

177. Riecheggia l'apparizione di Ettore ad Enea nella notte di Troia (cfr. VIRGILIO, *Aen.* II, 268-280).

178. Piccolo fiume del Lazio (od. Rio Torto; immaginato, come molte divinità-fiumi, con corna taurine), lo stesso in cui Enea muore e diventa dio con il titolo di *Indiges* (cfr. *Met.* XIV, 581-608).

179. Fenicia: Anna è però di Tiro (cfr. nota 161), non di Sidone.

180. Etimologia di *Anna Perenna* da *amnis perennis* («fiume perenne»).

- Haec quoque, quam referam, nostras pervenit ad aures
 fama¹⁸⁶, nec a veri dissidet illa fide.
 Plebs vetus et nullis etiam nunc tuta tribunis
 fugit et in Sacri¹⁸⁷ vertice Montis erat.
 665 **Iam quoque quem secum tulerant defecerat illos**
 victus et humanis usibus apta Ceres.
 Orta suburbanis quaedam fuit Anna Bovillis¹⁸⁸,
 pauper, sed multae sedulitatis anus;
 illa, levi mitra canos incincta capillos,
 670 **fringebat tremula rustica liba manu,**
 atque ita per populum fumantia mane solebat
 dividere: haec populo copia grata fuit.
 Pace domi facta signum posuere Perennae,
 quod sibi defectis illa ferebat opem.
 675 **Nunc mihi, cur cantent, superest, obscena¹⁸⁹ puellae,**
 dicere; nam coeunt certaue probra canunt.
 Nuper erat dea facta: venit Gradivus¹⁹⁰ ad Annam,
 et cum seducta talia verba facit:
 «mense meo coleris, iunxi mea tempora tecum;
 680 **pendet ab officio spes mihi magna tuo.**
Armifer armiferae¹⁹¹ correptus amore Minervae
 uror, et hoc longo tempore volnus alo.
 Effice, di studio similes coeamus in unum:
 conveniunt partes hae tibi, comis anus».
 685 **Dixerat; illa deum promisso ludit inani,**
 et stultam dubia spem trahit usque mora.
 Saepius instanti, «mandata peregrimus», inquit;
 «evicta est: precibus vix dedit illa manus».
 Credit amans thalamosque parat. Deducitur illuc
 690 **Anna tegens voltus, ut nova nupta, suos.**
Oscula sumpturus subito Mars aspicit Annam:

186. Anna Perenna identificata in Anna di Boville (vv. 661-674).

187. La secessione del 493 a. C. che portò all'istituzione dei tribuni della plebe.

188. Piccola località sulla via Appia.

189. L'etiologia del carattere licenzioso della festa di Anna Perenna (vv. 675-696). La vicenda riecheggia altre di tipo satiresco proposte nell'opera

nunc pudor elusum, nunc subit ira, deum.
 Ridet amatorem carae nova diva Minervae,
 nec res hac Veneri¹⁹² gratior ulla fuit.
 695 Inde ioci veteres obscenaque dicta canuntur,
 et iuvat hanc magno verba dedisse deo.
 Praeteriturus eram gladios in principe¹⁹³ fixos,
 cum sic a castis Vesta locuta focis:
 «ne dubita meminisse: meus fuit ille sacerdos¹⁹⁴,
 700 sacrilegae telis me petiere manus.
 Ipsa virum rapui simulacraque¹⁹⁵ nuda reliqui:
 quae cecidit ferro, Caesaris umbra fuit».
 Ille quidem caelo positus Iovis atria vidit,
 et tenet in magno templa dicata Foro¹⁹⁶,
 705 at quicumque nefas ausi, prohibente deorum
 numine, polluerant pontificale caput,
 morte iacent merita: testes estote, Philippi¹⁹⁷,
 et quorum sparsis ossibus albet humus.
 Hoc opus, haec pietas, haec prima elementa fuerunt
 710 Caesaris¹⁹⁸, ulcisci iusta per arma patrem.

C XVIII KAL. F

Postera cum teneras aurora refecerit herbas,
 Scorpius a prima parte videndus erit.

D XVI KAL. LIBERALIA AGONALIA NP

Tertia post Idus lux est celeberrima Baccho¹⁹⁹:
 Bacche, fave vati, dum tua festa cano.

192. Nell'*Odissea* Afrodite / Venere è l'amante di Ares / Marte.
 193. L'assassinio di Giulio Cesare, alle Idi di Marzo del 44 a. C.
 194. Giulio Cesare nel 63 a. C. era stato nominato Pontefice Massimo.
 195. Anche a *Met.* XV, 804, dove però è Venere (e non Vesta) a proteg-
 gere Giulio Cesare, portandone l'anima in cielo (e non sostituendone il
 corpo, come in questa occasione!).
 196. Il tempio del *Divus Iulius*, votato nel 42 a. C. dai Triumviri, venne
 inaugurato da Augusto nel 29 (sul catasterismo di Cesare cfr. nota 66).